



**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

1. Quod pater Prodigi benignißimus fuerit, idque in Prodigum plurimis
pstenderit modis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XXIV.

- Græca.* 10. Επὶ ἃ αὐτὸς μακρὰν ἀπέχοντος, εἶδεν αὐτὸν πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἰσχυροῦς ἐγένετο, καὶ δεξιῶν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸ κεφάλαιον αὐτοῦ, καὶ κατεβίβησεν αὐτὸν. (μέχρ' αὐτὸς καὶ ἀπολωλὸς ἦν, καὶ εὗρεθῆναι.)
- Vulgata.* 10. Cum autē adhuc longē esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum (vsque ad) perierat & inuenitus est.
- Syriaca.* 10. Quumq; adhuc longē esset, vidit eum Pater ipsius, & misertus est eius: & accurrens incidit in collum eius, & eum deosculatus est (vsque ad) perierat & inuentus est.

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie*
1. Quod pater Prodigii benignissimus fuerit, idq; in Prodigium pluribus ostenderit modis.
 2. Quod tāta patris illius clementia immensam Dei representat misericordiam in pœnitentes.
 3. Bonum esse se Reges, & superiores omnes paternam clementiam istam imitentur.

AVE MARIA.

I.

Quod Pater Prodigii benignissimus fuerit, idq; in Prodigium pluribus ostenderit modis.



I sacras & prophanas, novas & veteres lustrantes historias, misericordis patris perfectam quæreremus formam, imo si omnes in patre vno nobis fingeremus dulcedines, quas possemus imaginari, meliorem hoc Prodigii patre comminisci vt arbitror non possemus. In ipso enim quasi exiguo schemate, omnia boni patris expressa

DE POENITENTIA PRODIGI. 553

expressa sunt. (Sicut dicitur Christus cum nobis talem depinxit, ut nobis hac ratione figuraret immensam bonitatem seruatoris.) Prodige quam fortunatus es, tam bono patre? Patre quem filij amor quasi cæcauerat, patre quasi philtis fascinato, amante non secus ac Pandoram quandam gratiosam, quæ horreret possent, & parū certe erant gratiosa. Talis te decebat post vitam tam indecēter transactam, qui ita tuis facinoribus conuiueret, & dissimularet: talis te decebat amore ebrius, cum velles tātis volutari in criminibus; qui tibi statim ignosceret, statim tecum rediret in gratiam, ac omnem exhiberet humanitatem quam amicus amicissimo præstare posset; imo quam amās dilectæ, quam sponsus sponsæ. *Quum longe adhuc esset, vidit eum pater & accurrens: statim ut te accessit, ruit in collum, amplexatus est brachiis, strinxit quasi adamantinis catenis, & osculatus est eum: induit te statim veste honestissima, serica, damascena vel meliori ex vestiaria theca: cito proferte stolam primam, & induit eum, annulauit digitos, date annulū in manu eius. Calceauit pedes, date & calceamēta in pedes eius.* Et si quid in grege bene pastum tibi cæcum est, *occidite vitulum saginatum.* Sonabant tubæ, pulsabantur citharæ, audiebantur fides, in reditu tuo velut in nuptiis, *audiuit frater symphoniam & chorum.* Nec amicus fuit qui non illuc sequeretur, *manducemus, epulemur: epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, &c.*

Quis pater, dilectissimi, quis pater? quid faceret amplius sponsus sponsæ? sed ostendamus paulò largius, quomodo pater suam declarauit bonitatem.

Prima bonitas eius est, quod tam cito ignoscat: inde enim Deum nostrum bonum appellamus. *Deus optimus maximus: Deus indulgentiarum Dominus: Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde: inde de Mose dictum est. Erat Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Inde Dauid *Psal. 72.* quid tantopere laudatus est. *Memento Domine Dauid Num. 12.*

& omnia

Pfal. 131. & omnis mansuetudinis eius. Inde Reges Israel celebra-
3. Reg. 20. ti sunt. Reges domus Israel clementes sunt. Inde homines
Matt. 11. & Deo se similes reddunt, in isto enim maxime voluit
 18. Christus vt referremus patrem. *Discite à me, quia mitis
 sum, & humilis corde: Estote misericordes, sicut & Pater
 vester misericors est.* Inde est quod accessum habeamus
 ad thronum gratiæ: *Sic pater meus cœlestis faciet vobis,
 si non dimiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris:
 Dimittite & dimittimini. Dimitte nobis debita nostra,
 sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Pater autem hic quantum condonauit Prodigio:
 omnium bonorum dispendium. *Ibi dissipauit substan-
 tiam suam, & hoc vnum.*

Insolentiam suam quam fecerat, adeo militanter
 loquens, & quasi pugione succinctus, compellens da-
 re partem hereditatis. *Da mihi portionem substantiæ qua
 me contingit, & hoc secundum.*

Et mille alias immodestias, ante istam extremam,
 & hoc tertium.

Contumeliam quam ipsi fecerat, toti familiæ, ac
 maioribus & patriæ, vitæ suæ nequitia, *Dissipauit sub-
 stantiam suam viuendo luxuriose.* Quod frater ipse
 clarius turpiusque exprimit *cum meretricibus*, quasi
 pater ad ista educasset filium, aut dedisset exempla,
 quasi grauius peccasset in Rempublicam, tale proge-
 nerans monstrum, quasi Respublica talibus constaret.
*Tu tuus, vitâ, quam turpiter egisti, magnas offudisti reue-
 bras: vt etiam si fuerint egregij ciues, cerè venerint in obli-
 uionem.* (Et post multa:) *Pater si nunquam in vitâ sua
 peccauit, tamè maiorem iniuriam Reip. facere non potuit,
 quàm quod talem filium genuit, dici posset de ipso ac
 eius patre, & hoc quartum.*

*Cic. resp. in
 Salust.*

Seruitium abiectissimum, & vilissimam mendici-
 tatem, porcorum custodiam, post res decoctas, cum
 debuisset (vt putant nobiles) quærere & tractare ar-
 ma, noua parere media, aut ibi in honoris strato oc-
 cubere honesto vulnere in vultu aut pectore, arma
 iacens in campo dextra. Toti fecit iniuriam nobi-
 litati, quod ad porcorum curam se proiecerit, ideo-
 que.

que dicit. *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, & hoc
quintum.

Quanta sunt in vno facinore crimina! Et tamen pater
psi ignouit omnia. Nonne igitur egregie misericors
pater? Imo vero condonauit totum. Sed quomodo?
melius quam vllus vnquam homo: condonauit enim
cito. Hic vel iste pater aut dominus ignoscet, sed
multo post tempore, admodum tardè, post multas
preces. David Absoloni ignouit cædem fratris Am-
non, sed tribus circiter annis post exilium, sed post
intercessionem parabolicas fœminæ Thecutis, &
loab magisti militiæ. Ille ignoscit: sed cum inimicus
animam agit moribundus, & mandit exeuntem spiri-
tum dentibus.

Fit tardè magni Caesaris ira senex.

Ouid.

Quidã plumbeas iras gerunt: Quadraginta annis offen-
sus sui generationi huic. Hic vero pater ignoscit sta-
tim, cum filium eminus conspexerit, *Cum adhuc longe*
esset, vidit eum Pater, & misericordia motus &c. Chole-
ra ipsius deferbuit, ira contra filium decanduit, stipu-
la tantum erat & palea, simul ardens simul periens.

Plaut.

Flammaq; de stipula nostra breuisq; fuit.

Ouid.

Quod in patre admodum laudabile, inquit S. Gre-
gorius Nazianzenus. Et non solum ad primam peti-
tionem, sed etiam ante salutationem, & excusationem
quamlibet, non rogatus veniam. Non enim expectat
filium in throno, non in maiestatis sede, in cubiculo,
vt ignoscat postquam humillime prostratus ad pe-
des, osculatus terram, dixit culpam, amplexatus est
genua, osculatus manum, tetigit barbam, obsecrauit
gratiam, obtulit satisfactionem, neutiquam: sed an-
tequam filius vlla adhiberet blandimenta, aperiret
os, & hæc verba diceret: *Iam non sum dignus, &c. Fac*
me sicut vnum de mercenariis tuis.

D. Greg. Na-
zianz. epist.
ad Vitalian.

III.

Nos videmur nobis admodum misericordes & per-
fecti, si veniam alicui demus post supplices obtesta-
tiones, & adgeniculationes. Quid videtur filio habe-
re opus, prior adcurrit, prior amplexatur; qui alterius
opera indiget, eam roget dicimus communiter. Insu-

IV.

per

v. per non ex parte ignoscit, vt nonnulli qui culpam quidem ignoscunt, pœnam tamen seruant; aut remittunt quidem pœnam capitalem, volunt tamen vt qui offendit, pœnam aliquam subeat pro correctione, aut pro exemplo aliorum.

2. Reg. 14.

Sic Dauid ignouit Absoloni fratris Amnonis necem recipiens eum in gratiam, nec quærens vltra ad supplicium; noluit tamen vt rediret ad aulam, aut videret Regis faciem. *Reuertatur, inquit ad loab, is delictum suum & faciem meam non videat.* Et fuit Absolon duobus annis Ierosolymis patri inuisus, quæ pœna adeo ipsi fuit grauis, vt postmodum diceretur nisi ea absolueretur, malle se mori. Tandem vero instantia Ducis loab, Absolon reductus est à patri in curiam, & post adorationem amplexatus est eum pater, in signum reconciliationis. Prodigii vero pater, omnino ignouit sine vllius pœnæ exactio-
ne, & statim ruit in amplexus, in oscula, *ad-
currens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.*

VI.
Terent.

Comicus inquit pro magno delicto, paululum supplicij satis est patri.

Hic autem pater, nec parum multauit, nec multum Prodigium à quo tanto opere erat offensus.

VII.

Et non solum pœnam nullam exegit, sed insuper beneficia contulit extraordinaria, & ante inconlata, aut ipsi exhiberi, aut fratri; saltem conuiuium de mactatio vituli: exprobrat enim patri filius inter tot fideles operas, nihil vnquam sibi tale factum, *Nunquam dedisti mihi hoc dum, vt cum amicis meis epularer.*

Cic. orat. pro
M. Marcello.

Cicero magnus Orator supra modum extollit Iulium Cæsarem, quod non tantum ignouit M. Marcello, sed auxerit etiam ipsi dignitates. *Animum vincere (inquit) iracundiam prohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius prius dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo*

indico. Quid dixisset si hunc legisset vel audisset patrem? humaniorem se exhibet peccatori quam iusto, scelerato quam probo, Prodigo quam parco. Imaginamini quale placet beneficium, pater hic nihil omisit, quo liberaliter exciperet filium.

Si beneficia utilia sunt, delectabilia, & honesta; triplici hoc officiorum genere demeruit filium. Utilibus, quia à capite usque ad calcem reuestiuit illum qui nudior erat pomilegulo. *Cito proferte stolam.* Utilibus etiam, quia ipsum recalceauit. *Date calceamenta in pedibus eius.* Utilibus & absolute necessariis, quia ipsum pauit famelicum instar lupi vespertini. *Occidite vitulum manducemus:* & hoc erat ipsi reddere ac seruare vitam; dicebat enim pridem: *ego autem hic fame pereo. Epulemur.* Utilibus circumdans annulo digitum, forte pretioso, tam propter adamantem aut gemmam, quam artificium & artificem.

Fuit Theodorus forte Zamius, qui in smaragdo Regi Policrati sculpserat signum: *Diuini opus Alcimedonit:* etiam propter materiam, quæ ut sæpe videmus valeret lytron parui alicuius Reguli quem aliquando admodum carè diuenderet.

Quis dicat an non fuerit gemma ipsius patris, qua exinde signare posset, ac disponere omnia patris bona.

Delectabili ipsi fuit videre patrem, sicuti patri iucundum videre ipsum. *Cum adhuc longe esset, vidit eum pater:* quasi è specula, & summis pinaculis, aut montium iugis cum matre Tobæ reditum ipsius iuisset speculatum: quasi patri semper in oculis, semper fuisset in corde. Iucundum fuit occurrere patrem, in collum recidere, oscula miscere, & lachrymas, & *accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* Lauari utrumque opinor potuisse lætitiæ lachrymis.

Iucundum fuit totum mundum à patre ob reditum eius vocari, ut congauderet reindui: *cito proferte,*

I.

2.

3.

4.

Herod. lib. 3.
Virg. Eclog.

I.

Thob. 7.

2.

III.

IV.

ferte, date, occidite. Iucundum fuit ipsi comedere vitulum saginatum, prandere iterum cum conuiuis, maxime post tantam famem. *Manducemus & epulemur,* manducemus pro necessitate, epulemur pro voluptate. Iucundum fuit audire chorum, melodiam, & musicam illam harmoniosam, *audiuit senior symphoniam.* Esse iterum in mediis choreis cognatorum, & amicorum, quas pridem tantopere amauerat, consumens in regione peregrina substantiam. *Audiuit symphoniam & chorum.* Iucundum ipsi fuit videre se repente translatum ab extremo vno ad alterum, ex vmbra mortis, maximis miseris, paruo inferno, ad letitiam, ad foelicitatem, ad vitam, ad paradysum quasi terrestrem. *Noua lux oriri visa est.*

Isaia 9.] Sicut qui latantur in messe, sicut exultant victores capta prada, quando diuidunt spolia.

Non ita Dardaneo gaudisus Attrida triumpho est,

Cum caderent magna Laomedontis opes, &c.

VIII.

Iucundum ipsi fuit videre nihil responderi à patre ad suum peccatum: non se multari, multum vel parum, nec concedere quasi verè dicat peccasse in caelum, indignum se filij nomine, sed dissimulari totum, quasi audisset nihil. Deuorauit totum pater habens quasi pro oraculo, *Accipienda & missitanda iniuria adolescentium est.*

IX.

Terent. in Adolph. act. 2. scen. 1.

Sic enim ipsorum expugnantur animi, qui seuentate obdurescunt, occallescunt aures, deponunt frontem, cum se vident excipi malè. Leges per naturam in corde parentum descriptæ, & consanguinitas, violentiores sunt quam manibus descriptæ humanis in ænea tabula. Quamuis enim scriptæ leges peccata peccata filiorum in parentes puniri velint ante omnia illa tamen amoris incantamenta parentum in filios, adeo fortia sunt, adeo valida, vt nullum penè sit facinus tam frequens, tam enorme, cuius non imperet gratiam & dissimulationem à patre filius.

D. Gregor. Nazianzenus Ep. ad Vitalianum, filiorum ipsius nomine.] Regina necessitas ac violentia scriptarum legum ignara; parentes filiis placat. Quot ut multa qua

ta qua vident, videre se dissimulent: multa se minimè au-
disse fingant: qua auribus infixæ habent. Verendum enim
sibi intelligunt, ne si ob quavis errata alios coarguant, fron-
tem tandem ipsi perfricent, abstergeq; omni pudore, qui non
leue parentibus adiumentam adfert, temere in scelus omne
prorumpant. Contumacia enim impudentiam atq; auda-
ciam parit. Clementia contra hoc efficit, vt hi quibus noxa
condonata est, parcius in posterum peccent. Quod cum in
omnibus locum habeat, tum præsertim in filiis qui cum
propinquum paterna gloria exemplum habeant, non tam
violenta manu coercendi sunt, quam benedolentia vincu-
lis constringendi ac retinendi.

Sed honesta quæ multo cetera plura: Multum ho-
noratus est, quod pater prior ad ipsum accesserit; &
occurrēs permiserit, imo obtulerit ipsi osculum: non
manus, non lasciuiæ, sed genarum. Et osculatus est eum.
Induxit in domum, comiratus vel ad dextram vel ad
sinistram. Nonne 3. Regum pro singulari matris ho-
nore refertur, quod Rex Salomon surrexerit de thro-
no, & obuiam iuerit Betsabee matri, exhibitaque re-
uerentia collocauerit in throno, ad dexteram. Surre-
xit Rex in occursum eius, &c. Magni honoris fuit, quod
non obuia quæuis ipsi iniecta sit vestis. Olim enim
stola iuxta Nonnium quemlibet significauit integrum
amictum, postea translatum vocabulum ad matro-
narum honestarum vestes tales: credo fuisse quales
modo Montibus coniugatae postridie nuptiarum in-
duintuut soluta zona. Sed pater imperat afferri ex
vestium custodia stolam primam, qua scilicet ante
fugam vsus fuerat, optimam scilicet & honoratissi-
mam. Prima enim non magis tempore dicitur, quam
honore: imo forte patris propriam.

Magni honoris fuit recipere annulum. Olim enim Item
non solum annulus dabatur ob amorem sponsæ, sed
etiam ad honorem inter Romanos, maxime belli du-
cibus post superatos hostes, bene administrata Repu-
blica: vt alicubi habet Cicero. Dare annulum species
est fidei, quam habemus viris magnis, quibus multum
credimus: in cuius signum, in libro Hester Assuerus

III.

1.

2.

3.

3. Reg. 2.

4.

Vide Laza-

rum Bayfiæ

annot. in L.

Vestis FF. de

auro & ar-

gento leg. libe

cap. 1.

Item lib. 1.

de re vesting

cap. 17.

Esther 1.

Na legi.

legitur annulum suum tradidisse Aman, vt quod vellet contra Iudæos obsignaret.

Genes. 41.

Sic in Genesi Pharao, post explicata somnia in cōmodum totius Ægypti, honorare volens Iosephum, & authoritatem ipsi conferre in regnum, fecit ipsum primum dispēsatorem domus suæ, dein vice-Regem, & detractum digito annulum indidit ipsi, vestitur regie, & aurata circumdedit torque. *Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius.*

1. Macha. 6.

Et in Machabæorum libris, Antiochus vergens in mortē, annulum dedit Philippo amico, & diadema, & vestem: quo quasi equitem fecit sui ordinis, & primatē regni. Non enim videntur Reges aliis vti signaculis, quam gemmis annularibus. Tertio enim Regum dicitur Iesabel expediuisse litteras nomine Achab, contra Naboth, ad vrbis magistratus & eandem annulo signasse regio.

3. Reg. 21.

Daniel 6.

5.

Sic in Daniele inuenitur Nabuchodonosor annulo consignasse lacum leonum, in quem à suis superatus Danielem dimiserat. Non igitur parum honoratus est Prodigus, donato annulo; quod non solum noua & communi iterum veste amicitur, sed nouo fauore, annulo, quem nunquam gestaret antea, ornaretur, vt satis vero similiter conicio: quia non dicit pater sicut de stola, afferte ipsi *annulum primum.*

6.

Honoris etiam magni fuit eius causa tā sumptuosum paratum esse cōuiuium, amicos & cognatos rocatos illuc, tanta solennitate, vt senior frater in deuidiam conciperet. Erat itaque quasi à remo, vt aiunt, ad Tribunal transire, ex remige, aut si quid illo miserabilis Regem fieri foelicem, fortunatum.

Vide Chili-
ad. Erasmi.

Quid igitur in tali patre vltra desiderari possit? Superavit tamen & hæc: nam cum seuerè potuisset punire, & castigare filij facinora, ad fratrem seniorempsi patronus factus est. Cum enim tam Regiæ susceptioni succenseret frater, nec vellet ingredi, egressus ad eum inuitauit ad læticiam communem: cumque regereret falsa, mordacia, & cōtumeliosa in fratrem, dissimulauit omnia surdus pater: *dissipauit substantiam*

suam cum meretricibus. Et nihil ad ista in propriis terminis respondit, sed accusauit potius accusantem, dicens gaudendum de inuento fratre, de reuiuiscencia eius qui putabatur mortuus, aut perditus. Nō ita oblectandum, non ita pungendum. Inueniuntur qui reconcilientur inimicis, vt nihil ipsis mali velint: nonnulli etiam, quod magnum, vt bonum optent: vt vero amara pro ipsis degustent, ipsorum cum inuidia causas suscipiant, non humanæ sed diuinæ est charitatis. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Christi & Christianorum est illuc vsque procedere, & illud scandere iugum, vix visum in lege Mosaica.

Ioan. 15.

*— Pauci, quos equus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad athera virtus.*

Virg. 6. Æn.

Pater iste Phœnix quidam fuit misericordie. Dicunt ipsi de rerum suarum decoctore, de scortatore, dissipauit cum meretricibus substantiam suam. Ille vero de homine loquitur quasi peregrè mortuo & perdito. O quam in illo verum, *cæcus amor probis!* parenti nihil in filio turpe. Similis est fimiæ, quæ nullos catulos suis putat pulchriores. Sic & huic patri visus ille pulcherimus, optimus: & sicut in concupiscentia naturali nihil moderatum, sic in amore naturali parentum.

*Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile suadent;
Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

Si quid in re amata vitij, pulchro regit nomine.

Quid. l. 2. de arte amandi.

*Nominibus mollire licet mala: fusca vocetur,
Nigrior illyrica cui pice sanguis erit.*

Ouid.

Anonym.

*Si poeta est, Veneri similis, si flaua Minerua:
Sit gracilis, macie qua male visa sua est.*

*Dic agilem, quæcunq; breuis: qua turgida, plenam:
Et lateat vitium proximitate boni.*

Sic filiorum vitia virtutes appellantur, aut pinguntur quam fieri potest minime odiose. Aut si videantur, pateantque mala, nesciunt odisse. *Amici Cic. in Lelio.*
vitia noueris, non oderis. Omnibus hoc consuetum pa-

rentibus, adulantur hac in re sibi, nihil displicet quicquid profectum à filio. Vnde Horat. lib. 1. Sat. 3.

*At pater ut nati, sic nos debemus amici
Si quod sit vitium non fastidire, Strabonem
Adpellat patrum pater: & pullum, male parum
Si cui filius est: ut abortiuus fuit olim
Sisyphus, hunc varum distortis curibus illum,
Balbutit Scaurum, prauis fultum male talis.
Parcius hic viuit: frugi dicatur ineptus.
Et iactator hic paullo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur: at est truculentior, atq;
Plus equo liber? simplex, fortisq; habeatur
Caldior est? Acres inter numeretur (opinor)
Hæres & iungit, iunctos & seruat amicos.
At nos virtutes ipsas inuertimus, atq;
Sincerum cupimus vas in crustare.*

Sic in hoste nihil aduertimus pulchrum: vitia appellatur quæ decora sunt, sinistrè interpretamur, quæ indifferentia. Morosos dicimus, duros, si adulari nesciant; rusticos, si nō nimium sint officiosi; Timones & Mysanthropos, si ament solitudinem; Diogenes & canes, si libere carpant vitia; Nabalos & ingratos benefactoribus, si non profendant quicquid habent; gloriosos Trasones si Heroicis actibus gloriam comparent. Contraria omnia in amore concupiscentiæ, naturæ, virtutum: id est, in amicitia perfecta. Omnia protinus alba; omnia præclara, omnia illustria in iis quos amamus. Vitia virtutes fiunt, aut ita crustantur, colorantur; ex Nano Gygantum, muscam elephatem, festucam trabem facimus, si quid forte egerint bene: si turpiter se dederint, ex monte puluillum, ex pepone fragum, ex arbore surculum: indifferentia semper in meliorem trahimus partem.

Sic modo patri noster Prodigus formosior videtur, quam vnquam: ita amplexatur, ita exosculatur, nihil horret sordes, putorem, pædorem, ex porcorum hara, & cura contracta: factor ipsi opobalsamum videtur; nō secus ipsum tuetur apud fratrem, ac si optimus mortalium semper fuisset. Quid vultis, pater est.

DE POENITENTIA PRODIGI. 163

Expressit illud bene his verbis author Acolasti.

Ab mi pater, fuge has

Meas sordes. Pelarg. Nihil quicquam offendunt,

quia

Te amo, gnatio mi.

Guilelm.

Gnaph in

Acolasto

Act. 5. Scen.

5

Peculiare hoc parentibus, iuxta Nazianzenum, vt verbis pungant; vngant votis; non feriant vt lædant, sed vt plaudant.

Gregor. Nazianzen. Ep. ad Vitalianum, filiorum ipsius nomine. *Lingua (patris) ad iram exarsit? statim miseratio subsequuta flammam extinguit. Pater filium ore execratus est, dirisq; omnibus diuouit? animus interim nihil præter auxilium loquitur. Onus aliquod humeris ipsius imposuit? confestim ad eius dolorem illachrymat, eumque amplexatur.*

Talis etiam Christus pater fuit in Iudæos, plorans cum aliquando eos cedere deberet virga ferrea, propter scelera, quæ admissuri erant contra eum. Deus etiam pater gemit percutiens inimicos. *Heu! consolaber de hostibus meis.* Dolet, cogitur esse ferox.

Quintil. declamat. 5. vox patris est. *Ignorat profectò paterni doloris astus, quisquis solatium putat, vt de languente filio queratur, vt moribus mentiq; maledicat.*

Quid? parentes inueniuntur qui sibi filiorum vitia tribuunt, quasi nimia seueritate adegerint filios ad miseriam; imo & seruo dolent. Exemplum saltem istius proponit nobis Terentius. Et Dauidem inter cætera non etiam, tali de causa arbitramini deplorasse Absolonem, in pralio cæsum? quis nouit? sit necne, Ecce hic exemplum Terentij.

Terentius in Heaut. Act. 1. Scen. 1. *Eum ego (gnatum sc.) eieci hunc miserum iniustitia mea.*

(Et paulo post:)

Vsq; dum ille vitam illam incolit

Inopem (militiæ sc.) carens patria ob meas vicinias,

Interea usq; illi de me supplicium dabo.

Laborans, querens, parcens, illi seruiens.

(Et mox:)

Nn 3

De

*Decreui tantisper me minus iniuria,
Chreme meo gnato facere, dum fiam miser:
Nec fas esse vlla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille saluus redierit meus particeps.*

Videte igitur parētes vos ipsos in speculo huius patris, & clementiam discite paternam illo doctore quē Christus vobis proposuit. Discite non minus ignoscere quam punire, dissimulare nō nunquam, facilius fere continentur filij benignitate & facilitate quam terrore.

Terent, in Adolph. Act. 1. Scen.

Do, permitto, non necesse habeo omnia.

Pro meo iure agere.

Pudore & liberalitate liberos

Retinere, satius esse credo, quam metu.

Dicebat aliquando senex, qui filium non habebat alium quam adoptatum nepotulum.

II.

*Quod tanta patris illius clementia immensam Dei-
presentat misericordiam in pœnitentes.*

Sed quid significat hæc tam rara patris clementia, nisi immensam Christi misericordiam in peccatores quoscunque, publicanos, gentiles, &c. Exhibuitne se Prodigio semper refractario alium, quam amicissimo?

Qualem vero charitatem ostendit nobis Christus, creaturis suis, filiis suis, sed semper rebellibus? Cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

Rom. 5.

Cum essemus in flagranti delicto, in feruore peccati, faciētes voluntatem semper nostram, nunquam ipsius: cum adhuc longe essemus ab ipsius amore, (semper enim erecto armatoque collo in ipsum incurrimus, nihil minus cogitantes quam humiliatione redire in gratiam; exemplum est in Adamo) accurrit & occurrit nobis, vultu amicissimo, & accurrens. Venos erigat, promittens Adamo semen mulieris quod conce-